CANONICAM
LIBRORVM OMNIVM
VETERIS TESTAMENTI
AVCTORITATEM
IPSIVS CHRISTI
TESTIMONIIS
ADSERTAM

SISTIT

GEORGIVS CHRISTOPHORVS PISANSKI
THEOL. DOCT. IN ACADEM. REGIOMONT.
ET LYCEI CATHEDRAL. RECTOR.

BEROLINI
TYPIS CHRIST. SIGISM. SPENERI.
1775.

BS 1135
.P53
1775
c.1
Rare

§. I.

Quae de canonica Librorum quorundam Veteris Teſtamenti auctoritate haud ita pridem inter non nullos reciprocari coepta eſt controuerſiae ſerra, non poteſt non omnium, quibus oracula diuina fidei vitaeque norma ſunt, in ſe conuertere attentionem. Nec cuiquam igitur vitio eſt vertendum, ſi, veritatis amore ſtimulatus, argumentorum ab vtraque parte allatorum pondus aequa trutinet lance. Lubrico enim admodum et inſtabili fundamento inniteretur Theologia reuelata, vbi aqua nobis ſubinde haereret, num fontes, e quibus hauſta eſt, intemerati ſint, an turbidi. Proinde non fecerunt, quod operae haud eſſet pretium, qui, probe excuſſis diſſentientium rationibus, Libros iſtos tum cunctos, tum ſingulos, ab adſperſa labe vindicare allaborarunt (a). Et ſunt vtique

 argumenta

(a) Huc v. g. ſpectant Cl. Io. Petr. Andr. Mulleri **Belehrung vom Canon des Alten Teſtaments, zur Vertheidigung des göttlichen Urſprungs und Anſehens der ſämmtlichen göttlichen Schriften des Alten Teſtaments.** Lipſ. 1774. 8. nec non S. R. Christ. Frid. Schmidtii *Diuina origo Librorum canonicorum Vet. Teſtamenti, ex antiquis ſcriptis Judaeorum et Chriſtianorum probata et vindicata.* Wittenb. 1772. 4. Ad eandem metam collineare relatum legimus Cl. Magni Frid. Roosii Commentationem, quam oculis vſurpare nobis nondum licuit, inſcriptam: **Chriſtliches Glaubensbekenntniß und überzeugender Beweis von dem göttlichen Urſprunge und Anſehen der Bibel, den neueſten Einwürfen entgegen geſezt.** Tubing. 1773. 8.

argumenta vrgentiſſima, quibus auctoritas eorum canonica defendi, imputati autem ipſis naeui dilui poſſunt. Inter haec cum non infimum locum teneant ipſius Seruatoris noſtri teſtimonia, quibus Veteris Teſtamenti, quam late patet, adeoque Librorum etiam recens impugnatorum, diuina origo adſtruitur: haec iam ſpeciatim paullo vberius explanare iuuabit. Probaturi nempe ex ipſis Chriſti effatis ſumus, Libris illis ad vnum omnibus, quos hodienum Eccleſia Iudaica et Chriſtiana pro diuinitus inſpiratis habent, praerogatiuam hanc ſuo iure competere, eorumque auctoritatem firmiſſimo ſtare talo.

§. II.

Probatione non indiget, fuiſſe Iudaeis illo tempore, quo Chriſtus inter ipſos verſabatur, Libros, quos ſacros et diuinos reputabant; et ad quos, vt tales, ipſe Seruator Apoſtolique eius ſubinde prouocant. Catalogum eorum Nouo Teſtamento inſertum haud deprehendimus; vt inde edoceamur, quinam in hunc cenſum fuerint relati. Aliunde tamen ſeriem eorum petere, et non obtorto collo definire licet, quae ſcripta iſto aeuo canonem biblicum conſtituerint. Exſtat enim hac de re memorabile illud teſtimonium FLAVII IOSEPHI, Scriptoris, qui Chriſti aetatem proxime viuendo attigit. Hic, vbi commemoraſſet, res Iudaeorum continuo narrationis filo ſummoque conſenſu litteris eſſe mandatas, addit, poteſtatem Libros ſacros ſcribendi datam eſſe Prophetis *ſecundum inſpirationem factam a* Deo (κατὰ τὴν ἐπίνοιαν ἀπὸ τȣ̃ Θεȣ̃), et deinde ita ſcribendo pergit: Οὐ μυριάδες βιβλίων εἰσὶ παρ' ἡμῖν ἀσυμφώνων

(b) Contra Apionem Lib. I. p. 1036. editionis Operum JOSEPHI,

ἀσυμφώνων καὶ μαχομένων. δύο δὲ μόνα πρὸς τοῖς εἴκοσι βιβλία, τοῦ παντὸς ἔχοντα χρόνου τὴν ἀναγραφὴν τὰ δικαίως πεπιστευμένα. Καὶ τούτων πέντε μέν ἐστὶ Μωϋσέως, ἃ τοὺς γενομένους περιέχει, καὶ τὴν ἀπ᾽ ἀνθρωπογονίας παράδοσιν, μέχρι τῆς αὐτοῦ τελευτῆς. Οὗτος ὁ χρόνος ἀπολείπει τρισχιλίων ὀλίγῳ ἐτῶν. Ἀπὸ δὲ τῆς Μωϋσέως τελευτῆς μέχρι τῆς Ἀρταξέρξου τοῦ μετὰ Ξέρξην Περσῶν βασιλέως ἀρχῆς οἱ μετὰ Μωϋσῆν προφῆται τὰ κατ᾽ αὐτοὺς πραχθέντα συνέγραψαν, ἐν τρισὶ καὶ δέκα βιβλίοις. Αἱ δὲ λοιπαὶ τέσσαρες ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑποθήκας τοῦ βίου περιέχουσι. *Non ſunt infiniti Libri apud nos discordantes et ſibimet repugnantes; ſed duo modo et viginti Libri, omnis temporis continentes deſcriptionem, quibus iuſta fides habetur.* (Varians lectio habet τὰ δικαίως θεῖα πεπιστευμένα, *quae iuſte pro diuinis habentur.*) *Et horum quinque quidem ſunt Moſis, qui natiuitates* (Var. lect. τούς τε νόμους, *leges*) *continent et humanae generationis traditionem vsque ad ejus mortem. Hoc tempus a tribus millibus annis paulum diſtat. A morte Moſis autem vsque ad initium Artaxerxis, qui poſt Xerxem Perſarum rex fuit, Prophetae, quae ſuo aeuo contigerant, conſcripſerunt in tredecim Libris. Reliqui quatuor autem hymnos in Deum et pro hominibus praecepta vitae complectuntur* (b).

§. III.

Non patitur inſtituti noſtri ratio, vt ſingula momenta teſtimonii huius enodemus: quare ea modo inde deriuare nobis incumbit, quae propius argumentum noſtrum tangunt. Manifeſtum autem eſt e verbis IOSEPHI, Iudaeos tunc temporis viginti duos habuiſſe Libros, quibus diuinam tribuerent origi-

JOSEPHI, Coloniae, vt rubrum prae ſe fert, vel potius Lipſiae 1691. fol. prelo exemtae.

originem, eosque a maioribus ſuis ſibi traditos. Qui numerus, quamuis illi, quo nunc Libri Vet. Teſtamenti in Codicibus biblicis noſtris comprehenduntur, haud reſpondere videatur; reapſe tamen accuratiſſime cum eo congruit. Etenim differentia haec apparens non niſi inde enaſcitur, quod in Codicibus noſtris quidam Libri ſeparatim numerantur, qui olim aliis adiuncti, cum ipſis pro vno habebantur. Nimirum Liber Iudicum cum Libro Ruthae; vterque Liber Samuelis; vterque Regum; vterque Chronicorum; nec non Libri Eſrae et Nehemiae; Vaticinia Ieremiae cum eiusdem Threnis, et duodecim Prophetae minores coniunctim ſpectati, ſingulos tantummodo conſtituebant Libros. Pro hac ergo computandi ratione, viginti duo illi Libri, numerum elementorum in Alphabeto, quod aiunt, Hebraico aequantes, commodiſſime ita locantur: 1—5. Quinque Libri Moſis, 6. Liber Ioſuae, 7. Iudicum et Ruthae, 8. vterque Samuelis. 9. vterque Regum, 10. vterque Chronicorum, 11. Eſrae et Nehemiae, 12. Eſtherae, 13. Iobi. 14. Ieſaiae,

(c) Non neſcimus, inter eos, qui pro vindicando canone noſtro biblico ad hoc teſtimonium JOSEPHI provocant, alios aliter Libros hosce computare, et v. g. Librum Ruthae ſeorſum locare, Canticum Canticorum autem Eccleſiaſtae adiungere; alios Regum et Chronicorum Libros pro vno habere, Nehemiam vero ab Eſra ſegregare; alios Jobum e numero Librorum Propheticorum exemtum ad Hymnos referre, *caet.* Sed conueniunt tamen omnes in eo, quod non alii, niſi viginti duo iſti a nobis enumerati, a JOSEPHO ſignificati ſint.

(d) Vid. EUSEBII Hiſt. eccleſ. Lib. VI. cap. 25. Deſunt quidem in hoc ORIGENIS catalogo duodecim Prophetae minores; ſed eos, vel per lapſum memoriae ipſius ORIGENIS, aut EUSEBII, vel per incuriam librariorum

Ieſaiae, 15. Ieremiae cum Threnis, 16. Ezechielis, 17. Danielis, 18. duodecim Prophetarum minorum, 19. Pſalmi, 20. Prouerbia Salomonis, 21 Eccleſiaſtes, 22. Canticum Canticorum (c).

§. IV.

Eundem numerum inter Patres eccleſiaſticos priorum poſt natum Chriſtum ſaeculorum, ORIGENES, a JOSEPHI aetate vix ſeſquiſaeculo diſtans, non diſertis modo indicat verbis; ſed et catalogum Librorum horum nectit, in quo illi ipſi, quos recenſuimus, occurrunt (d). Recenſet eosdem EPIPHANIUS, non vno, ſed tribus diuerſis Scriptorum ſuorum locis (e); et quamuis penes eum numerum viceſimum ſeptimum aequent, dum quosdam ſeparatim nominat, qui plerumque aliis iungebantur, ſollicite tamen ſemper monet, ipſos eſſe eosdem, quos Iudaei ſub numero viginti duorum complectuntur. Idem commemorat, Sapientiam ſic dictam Salomonis et Siracidis Librum, vtut ad legendum vtiles ſint, minime tamen canonicis illis eſſe aequiparandos: inter quos etiam Epiſtolis Ieremiae

rum excidiſſe, tam manifeſtum eſt, vt in dubium vocari nequeat. Niſi enim illi ſimul computati fuiſſent; non viginti duo, ſed vnus modo et viginti adeſſent Libri: cum tamen Auctor diſertis verbis adfirmet: Ἐισὶ δὲ αἱ ἔικοσι δύο βίβλοι καθ᾽ Ἑβραίȣς αἵδε. Nec noſtra intereſt, ORIGENEM, praeter Threnos, ad Vaticinia Jeremiae etiam Epiſtolam Prophetae huius, ceu appendicem, referre; quae tamen neutiquam genuina et canonica eſt. Nam hic error, ſiue ab ipſo, ſiue ab alio quoquam commiſſus, nihil derogat teſtimonio eius de numero viginti duorum Librorum canonicorum: ad quem ſolum probandum nunc ORIGENEM adpellamus teſtem.

(e) Lib. I. Haereſ. VIII. Tom. I. p. 19. edit. Colon. a. 1672. item in Lib. de pond. et menſ. ibid. Tom. II. p. 167. nec non ibid. p. 180.

et Baruchi denegat locum. Pariter HIERONYMVS, qui in transſerendum in linguam Latinam S. Codicem multum olei operaeque impendit, ter conſignata omnium Librorum Vet. Teſtamenti ſerie, non niſi duo ac viginti, eosque haud alios, quam qui a nobis modo nominati ſunt, adpellat (f): licet illos in alias claſſes diſtribuat, ac Anteceſſores ſui; quod tamen rei ipſi nullam infert mutationem. Superſedemus opera, ad RVFINVM, ATHANASIVM, GREGORIVM NAZIANZENVM aliosque ſequentium ſaeculorum Patres, vel ad CANONES CONCILII LAODICENI prouocare; aut cauſſas allegare, cur in catalogo Librorum biblicorum, a MELITONE Scriptore ſaeculi II. contexto, quem EUSEBIUS Operibus ſuis inſeruit, Libri Eſtherae, Threnorum et Nehemiae omiſſi ſint. Allata enim teſtimonia, vt opinamur, ſatis ſuperque probant, Eccleſiam Chriſtianam primaeuam in determinandis Libris canonicis placide cum IOSEPHO conſenſiſſe, adeoque illos, qui ab hoc Auctore nominantur, tempore Chriſti canonem conſtituiſſe Veteris Teſtamenti. Idem vero etiam non poteſt non euinci e continuo et ad noſtrum vsque aeuum haud interrupto conſenſu Iudaeorum, qui hac in re tum inuicem, tum nobiscum conſpirant; ſolos illos, quos ex IOSEPHO enumerauimus, non plures, nec pauciores, pro canonicis ſancte colentes. Etenim niſi canonem hunc a maioribus ſuis per manus traditum accepiſſent; plane haud potuiſſet fieri, vt poſtea in illo conſtituendo quidquam communi conſenſu decreuiſſent. Nam mox poſt tempora Chriſti toto terrarum orbe disperſi, nunquam amplius vel in ſocietatem ciuilem, vel in hierarchiam eccleſiaſticam coaluerunt; nihilque adeo vnanimibus definire ipſis licuit

ſuffra-

(f) Tom. III. Operum p. 12. Tom. IV. P. II. p. 571.

ſuffragiis. Vt taceamus, ob perpetuum inter Rabbanitas et Karaitas diſſenſum, tale quid a neutra parte ita potuiſſe perfici, vt altera ipſi adieciſſet calculum.

§. V.

Cum igitur libri, qui tempore Chriſti ab Eccleſia Iudaica pro diuinitus inſpiratis habiti ſunt, iidem fuerint, quos hodienum canonicos eſſe ſtatuimus: recte conficitur, Seruatorem Optimum illos ipſos reſpexiſſe, quoties S. Codicis fecit mentionem. Frequenter autem, vt ſtatim indicabimus, de illis verba faciens, ſemper vt de re explorata et extra omnem controverſiae aleam poſita, loquitur. Nunquam ſcripta quaedam perperam forte in canonem relata excipit; nunquam Iudaeos eiusmodi arguit facinoris; nunquam hunc errorem refellit; nunquam Apoſtolos monet, vt ſibi ab illo caueant; nunquam criteria conſtituit, quibus genuinae notae Libri a ſpuriis discernantur. Quae omnia profecto fieri non potuiſſent; ſi tunc temporis canon Vet. Teſtamenti aut mancus fuiſſet, aut interpolatus. Non enim rem leuioris momenti quaeſtio haec tangebat; ſed eam, cui ſuperſtruenda erat doctrina a Chriſto eiusque Legatis orbi terrarum inculcanda. Proinde, ſi quidam Libri ad canonicos non pertinentes a Judaeis in Canonem fuiſſent recepti, nec Chriſtus innuiſſet, ipſos eſſe adulterinos; ipſo ſilentio ſuo hunc approbaſſet errorem: id quod vel opinari nefas eſt. Firmo igitur ſtat talo, integrum illud Volumen Vet. Teſtamenti, quod iam in manibus noſtris eſt, etiam tunc pro complexu reuelatorum a Deo dogmatum habitum eſſe.

et ibidem p. 595.

§. VI.

Eſto, haud ſuppetere nobis argumenta externa, omni exceptione maiora, ad probandum ſingulorum Vet. Teſtamenti Librorum inſpirationem diuinam (g); quae tamen tantum non de omnibus vtique adſunt: illa certe inde luculentiſſime patet, quod Chriſtus Libros hos ad vnum omnes pro diuinis declarauit. Stabilita enim diuina origine totius Voluminis, aliquot ſcripta complexi; de diuina origine vniuscuiusque ex illorum numero ſcripti ambigere, abſonum foret. Quis Ariſtotelem auctorem eſſe Operum *omnium*, quae eius ſub nomine euulgata ſunt, haud infitians, negare auderet, Hiſtoriam animalium aut Artem poeticam ab ipſo eſſe exaratam? Nonne hic, altero adfirmato, alterum prono fluit alueo? Eſto porro, haud licere nobis, ſingulorum Librorum Vet. Teſtamenti, ſingularum ſectionum eorum, vſum moralem, eumque perpetuum et vniuerſalem, acu vbique tangere; eſto, haud perſpectum nobis eſſe, quid commodi in vniuer-

(g) Quam incongrue, a deficiente nobis notitia de auctore Libri alicuius biblici, aut de vtilitate argumenti eius, nec non a locis obſcurioribus in eo obuiis, aliisue difficultatibus, ad negandam auctoritatem eius canonicam formetur ratiocinatio, docet Venerab. Io. FR. WILH. IERVSALEMIVS in Comment. **Betrachtungen über die vornehmſten Wahrheiten der Religion.** Part. II. p. 102. ſeq.

(h) Hypothetice haec dicta ſunto: cum omnino plurimorum Librorum biblicorum a non nullis negata vtilitas lectori, qui praeiudicatis haud indulget opinionibus, non obſcure eluceat. Proinde fuerunt, qui Libros hos ad pietatis exercitia applicare non infelici ſucceſſu conati ſunt: e quorum numero, ſpeciminis gratia, vel ſingulos in quemque Commentarios hic adpellare iuuabit. Monſtrarunt nimirum hac ratione vſum ethicum

LIBRI RVTHAE

CHRISTOPH. SCHVLTZII **Weg der Gerechten, in zwey und**

vniuerſum genus mortalium ex Hiſtoria Ruthae aut Eſtherae, e genealogiarum tabulis in Libris Chronicorum obuiis, ex vltimis Capitibus Vaticinii Ezechielis aliorumque Librorum pericopis quibusdam, redundare: nonne nimis temerarium foret, auctoritatem canonicam idcirco negare? vbi certum omnino exploratumque eſt, eos ſub generali Librorum canonicorum notione a Chriſto eſſe comprehenſos. Sit pharmacopolium quoddam etiam eiusmodi medicamentis inſtructum, quae morbis non niſi rariſſime graſſantibus et poſt hominum memoriam vix fando auditis, medeantur: quis auſit contendere, illa propterea prorſus ſuperflua, inutilia, prudente medico indigna ideoque abolenda eſſe? Pariter ſi vera ſunt verba Apoſtoli, 2 Tim. III. 16. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος *caet.* ſequitur, admiſſa auctoritate canonica V. Teſtamenti, ſingulis quoque eius partibus ſuum conſtare vſum: ſi vel minime eum vbiuis eruere poſſemus (h).

§. VII.

und funfzig Predigten über das Buch Ruth. Regiom. 1688. 4.

VTRIVSQVE LIBRI CHRONICORVM

LVDOV. LAVATERI Commentarius in Libros Paralipomenon. Heidelb. 1599. fol. in quo Opere vſus practicus ſingulis pericopis ſubiectus eſt.

LIBRI ESRAE

IO. PAVL. de OLIVA Commentarius ethicus in Esdram. Lugd. 1679. fol.

LIBRI NEHEMIAE

LVDOV. LAVATERI Homiliae LVIII. in Librum Nehemiae. Tigur. 1586. 4.

LIBRI ESTHERAE

S. R. CHRISTIAN. AVG. CRVSII Vſus Libri Eſtherae ad praxin vitae Chriſtianae. Lipſ. 1773. 4.

CANTICI CANTICORVM

HENR. AINSWORTHII Comment. in Cantic. Cantic. Lond. 1626. 8. poſtea teutonice redd. Berol. 1735. 8.

CAPITVM VLTIMORVM EZECHIELIS

JO. MEYERI de propheticis viſionibus Ezechielis. Harderov. 1707. 4.

§. VII.

Specialius nunc expendenda ſunt teſtimonia Chriſti, quibus Vet. Teſtamenti Libris omnibus auctoritatem canonicam tribuit. Legimus in hiſtoria euangelica, ipſum in ſermonibus ſuis frequenter ad τὴν γραφὴν vel τὰς γραφὰς prouocare; hancque ſcripturam normam conſtituere, ad quam homines ſe conformare oporteat. Haud quidem ignoramus, vocem γραφὴ Scriptoribus Noui Teſtamenti interdum non integrum Vet. Teſtamenti Codicem, ſed modo illud ipſum dictum, quod citatur, denotare. Cum v. g. Marc: XII. 10: Chriſtus ait: Οὐδὲ τὴν γραφὴν ταύτην ἀνέγνωτε: Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας; per τὴν γραφὴν, ſeu, ut Matth. XXI. 42. legitur, τὰς γραφὰς, intelligit Pſalmum CXVIII. in cuius v. 22. verba iſta deprehendere licet. Simile quid Ioh: VII. 38. cap. XIII. 18. cap. XVII. 12. occurit. Solet ideo, vbi voci γραφὴ hic ſignificatus eſt, non nunquam addi ἄυτη; v. g. Luc. IV. 21. vbi Seruator de impleto vaticinio Ieſaiae cap. LXI. 1. ſq. verba faciens, addit: Σήμερον πεπλήρωται ἡ γραφὴ ἄυτη ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν. Verum aliis in locis vocem iſtam non determinatum aliquod dictum biblicum, ſed totum Librorum Vet. Teſtamenti omnium complexum ſignificare, manifeſtum eſt (i). Diſcipuli Chriſti, poſt reſurrectionem eius recordantes, ab ipſo eam fuiſſe praedictam, crediſiſſe dicuntur τῇ γραφῇ καὶ τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς Ioh. II. 22. Non in vno autem aliquo Vet. Teſtamenti loco, ſed in pluribus, paſſio, mors, reſur-

(i) Per γραφὴν Judaeos tunc temporis integrum Vet. Teſtamentum κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictum intellexiſſe, e multis JOSEPHI locis patet. Antiq. III. c. 1. p. m. 73. ſcribit: Δηλοῖ ἐν τῷ ἱερῷ ἀνακειμένη γραφὴ τὸν Θεὸν Μωϋσῇ προειπεῖν κ. τ. λ. *Oſtendit Scriptura in Templo repoſi-*

reſurrectio Chriſti praedictae typisque adumbratae ſunt: vnde ἡ γραφὴ non poteſt non generatim Codicem biblicum ſignificare. Ipſe Chriſtus dum Ioh. X. 35. Οὐ δύναται, inquit, λυθῆναι ἡ γραφὴ, totum Vet. Teſtamenti Volumen intellexiſſe, dubio caret. In primis vocem hanc, vbi numero plurali αἱ γραφαὶ vſurpatur, ſaepius hoc ſignificatu gaudere, certum eſt. Sadducaeorum erroneas opiniones refutaturus Chriſtus, ipſis ignorantiam Scripturae ſacrae his exprobrat verbis: Πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς, Matth. XXII. 29. Marc. XII. 24. Et Matth. XXVI. 54. docens, inſtantes ſibi cruciatus iam in Vet. Teſtamento eſſe annunciatos, dicit: Πῶς οὖν πληρωθῶσιν αἱ γραφαὶ; qua locutione omnia ea loca, quae in Vet. Teſtamento de hac materia agunt, innuit. Repetitur eadem denominatio in verbis ſtatim ſequentibus v. 56. vbi Libri biblici αἱ γραφαὶ τῶν προφητῶν adpellantur. Et quid luculentius idem exprimere poteſt, quam verba πᾶσαι αἱ γραφαὶ Luc. XXIV. 27.? vbi Chriſtus diſcipulis vicum Emmauntem petentibus narratur explanaſſe omnia, quae de ipſo in Moſe Prophetisque et πάσαις ταῖς γραφαῖς praedicta erant. Hic ſine vlla reſtrictione omnes ſcripturas nominat: vnde non vnum aliquem Vet. Teſtamenti locum Librumue, non quosdam modo Libros eius, ſed vniuerſum eorum complexum, ſignificaſſe dicendus eſt. At non alii, vt §. V. demonſtratum eſt, niſi illi ipſi Libri, qui adhucdum canonem Vet. Teſtamenti conſtituunt, tunc a Iudaeis pro canonicis habiti ſunt; adeoque euidentiſſime

repoſita, Deum Moſi praedixiſſe.' Sed in Templo, etiam ſecundo, repoſitum erat integrum Volumen Libros omnes Vet. Teſtamenti continens; vt PETR. DAN. HVETIVS in Demonſtrat. euangel. p. 476. docet et TERTVLLIANI teſtimoniis confirmat.

tiſſime apparet, Chriſtum cunctos illos pro genuinis et canonicis declaraſſe. Quod vero de ſubſtantiuo γραφὴ, idem et de verbo γράφω valet, ſi eo Chriſtus vtitur: quippe quo etiam Iudaei pro vſu loquendi omnem ſcripturam Vet. Teſtamenti denotabant. Cum enim v. g. Ioh. VI. 31. de Manna dicerent: Καθώς ἐςι γεγραμμένον· Ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς φαγεῖν; reſpexerunt omnia illa loca in Vet. Teſtamento paſſim obuia, quae huius rei faciunt mentionem, Exod. XVI. 4, 14. Num. XI. 7-9. Nehem. IX. 15. Pſ. LXXVIII. 24. *caet.*

§. VIII.

Libros Vet. Teſtamenti a Iudaeis in תורה S. *Legem*, נביאים *Prophetas*, et כתובים *Hagiographa*, diuidi, notiſſimum eſt. Quae partitio, num Chriſti iam aetate vſu recepta fuerit, adhucdum lis eſt ſub iudice. Veriſimile videtur IO. LIGHTFOOTO (k), IO. GOTTL. CARPZOVIO (l), S. R. IO. PET. MILLERO (m) aliisque; ſed non arridet ABR. CALOVIO (n), MICH. WALTHERO (o), AVG. PFEIFFERO (p) et pluribus. Qui priorem tuentur ſententiam, prouocant ad Luc. XXIV. 44. vbi Seruator ait: Δεῖ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως, καὶ προφήταις, καὶ ψαλμοῖς περὶ ἐμοῦ. Quibus verbis trium iſtarum claſſium reſpectum habuiſſe videtur; Pſalmorum nomine omnia Hagiographa, in quibus Pſalmorum Liber primum locum occupat, inſigniens. Contra, qui huic opinioni refragantur, aliam diſtinctionem Chriſtum reſpexiſſe putant, illam

(k) Vol. I. Operum p. 569. edit. Franequ. 1699. Fol.

(l) Critica ſacr. p. 136 ſeq: edit. Lipſ. 1748, nec non Introduct. in Libr. bibl. p. 26. edit. Lipſ. 1727.

(m) Inſtitut. Theol. dogm. p. 23. edit. Lipſ. 1767.

(n) Bibl. illuſtr. T. I. p. 652. edit. Francof. 1672.

lam nempe, qua S. Codex diuidebatur in Legem, Prophetas et Hymnos, ad quos Pſalmi, ſed praeterea etiam Scripta Salomonis referebantur (q), et quam diuiſionem etiam IOSEPHVS l. c. (§. II.) ſecutus eſt. Sed vtcunque ſe res habet; hoc tamen inde elicitur, Chriſtum non ſingulos aliquot Libros, ſed totam eorum congeriem, quae tunc Iudaeorum terebatur manibus, pro fonte habuiſſe, vnde impleta de ſe vaticinia eſſent deriuanda. Idem adfirmandum eſt, ſi integrum Vet. Teſtamentum per ſynecdochen Νόμον adpellat. Etenim non ſolum Pentateuchum hoc nomine comprehendi, inde conſtat, quia dicta quedam a Chriſto allegata non in aliis Libris biblicis, litteris mandata ſunt. Ioh. X. 34. dicit, verba: Ἐγὼ εἶπα, θεοί ἐστε, ſcripta eſſe ἐν τῷ νόμῳ: cum tamen non in Pentateucho, ſed Pſalm. LXXXII. 6. exſtent. Pariter, quae Ioh. XV. 25. ibidem reperiri perhibet, e Pſalmo LXIX. 5. arceſſita ſunt. Nec mirum. Ipſi Iudaei iſto tempore voce νόμου hoc ſignificatu vtebantur. Prouocantes enim Ioh. XII. 34. ad vaticinia, quibus Meſſias ſemper permanſurus promiſſus erat, aiunt, Ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐκ τοῦ νόμου; licet vaticinia illa non in ſolis Libris Moſis, ſed in aliis quoque v. g. 2 Sam. VII. 13. Pſ. LXXXIX. 30. CX. 4. Ieſ. IX. 6, 7. Ezech. XXXVII. 25. Dan. II. 44. Cap. VII. 27. *caet.* obuia ſint: perinde ac Paulus 1 Cor. XIV. 21. locum e νόμῳ citat, qui non in Pentateucho, ſed Ieſ. XXVI. 11. legitur. Ambigi ergo nequit, νόμον Chriſto totum Vet. Teſtamentum ſignificaſſe. Nec

(o) Officina bibl. p. 109. edit. Witteberg. 1703.
(p) Critica ſacr. p. 19. edit. Lipſ. 1712.
(q) Conf. BERN. LAMY Introduction à l'Ecriture ſainte p. 268. *ſeq.* edit. Lugd. 1709. 4. LVD. ELL. du PIN Prolegomenes ſur la Bible Tom. I. p. 18. edit. Traiect. 1731. 4. aliosque.

Nec aliter ſe res habet, vbi Legem, vel per metonymiam Moſen, et Prophetas coniunctim nominat; id quod crebro in colloquiis eius animaduertimus, v. g. Matth. V. 17. Cap: VII. 12. cap. XI. 13. cap. XXII. 40. Luc. XVI. 29, 31. Nam ex argumento locorum horum palam fit, vniuerſam ſcripturam ſacram ab eo inſigniri, Hagiographis neutiquam exceptis. Attentione in primis digna ſunt verba Luc. XXIV. 27. iam §. VII. commemorata; vbi vaticinia de ſe πάντων τῶν προφητῶν interpretatus eſſe legitur. Si enim omnes Prophetae de eo vaticinati ſunt; nullus profecto fuit, qui ſcriptis ſuis ad ipſum haud reſpexiſſet. Et cum in Nouo Teſtamento alii quoque oraculorum diuinorum Scriptores, v. g. Dauid Matth. XXVII. 35. Act. II. 30. latiori ſignificatu Prophetae audiant; non titubante coniectura, ſed firmiſſimis inducti rationibus, adſtruimus, Chriſtum omnes Vet. Teſtamenti Libros, quos canon Iudaeorum complectebatur, innuiſſe eosque approbaſſe.

§. IX.

Non opus eſſe arbitramur, plura cumulare loca, quae idem euincant; cum vel allata ſatis ſuperque, quae a nobis adſerta ſunt, probent. Hic vero id etiam atque etiam notatu dignum eſt, Chriſtum, quotiescunque Librorum Vet. Teſtamenti ſub variis denominationibus mentionem iniecerit, nunquam reſtrictionem aliquam addidiſſe, quod illos tantummodo innuat, qui reapſe diuini ſint; reiectis perperam adſcitis et adulterinis, qui forte tunc canoni fuiſſent inſerti. Quod cum nequaquam reticuiſſet, ſi huius furfuris ſcripta in Catalogum §. III. exhibitum irrepſiſſent; cum potius de Libris biblicis, vt talibus, loquatur, de quorum auctoritate canonica nullum

nullum ſit dubium, nulla controuerſia: certe, eius hac de re ſilentium inuictiſſimi argumenti pondus ſuſtinet, canonem Iudaeorum tunc eundem fuiſſe, qui hodienum eſt. Superflua igitur poſtularet, qui vrgere vellet, vt e ſermonibus Chriſti monſtretur, ipſum diſertis verbis ſingulorum Librorum illorum diuinam originem ſuo comprobaſſe calculo, et ſigillatim Librum Ruthae, Eſtherae Canticum Canticorum *caet.* nominaſſe. Ubi enim totius fit mentio; quid opus eſt enumeratione ſingularum partium? Et nihilo tamen minus nec hic, ſicubi ſe obtulit occaſio, Chriſtus quidquam in ſe deſiderari paſſus eſt. Adpellauit vtique nominatim quosdam Auctores biblicos, eosque e triplici illa Librorum Vet. Teſtamenti partitione; nimirum MOSEN, Matth. XIX. 8. Ioh. VII. 19, 22, 23. DAVIDEM, Matth. XXII. 43, 45., IESAIAM, Matth. XIII. 13. DANIELEM, Matth. XXIV. 15. pluresque procul dubio fuiſſet adpellaturus, ſi ſimilis id flagitaſſet occaſio.

§. X.

Quae cum ita ſint; palam iam faciendum eſt, Chriſtum Vet. Teſtamenti Codicem non in tranſitu, quod aiunt, aut illuſtrationis tantum gratia, citaſſe; vt Paulus ad quosdam Auctores profanos prouocat (r); ſed Libris in eo comprehenſis omnem doctrinam ſuam ſuperſtruxiſſe, ipſorumque adeo auctoritatem canonicam ipſo facto habuiſſe ratam. Hoc vero non vna declarauit ratione. Praelegebat eos publice in Synagogis Iudaeorum atque in eos commentabatur. Luc. IV. ſeq. dicitur Nazarethae die ſabbathi Synagogam ingreſſus, oblato ſibi Codice

(r) Act. XVI. 28. Tit. I. 12.

dice biblico, Librum vaticiniorum Ieſaiae euoluiſſe, verba cap. LXI. 1 ſeq. congregato coetui explicaſſe, verumque ipſorum enucleaſſe ſenſum. Simile quid crebro ab ipſo alias factum eſſe, Euangeliſtarum docet hiſtoria. Vid. Matth. IV. 23. cap. XII. 9. Marc. I. 21. Luc. XIII. 10. Ioh. VI. 59. *caet.* Ipſe quoque coram Summo Sacerdote profitetur Ioh. XVIII. 20. Ἐγὼ πάντοτε ἐδίδαξα ἐν τῇ συναγωγῇ καὶ ἐν τῷ ἱερῷ. Sed in publicis eiusmodi iisque religioſis conuentibus, diebus ſabbathorum in Synagogis inſtitutis, non alia ſcripta, niſi quae pro diuinitus inſpiratis communi conſenſu habebantur, praelegi, populusque ex iis erudiri ſolebat. Nec eſt, quod opinemur, id modo de Lege et Prophetis, non item de Hagiographis, valere; adeoque Volumina in Synagogis obuia non niſi illos Libros continuiſſe, qui ad priores duas partitiones referuntur. Etenim quamuis haud abhorreat a vero, ordinariis hisce lectionibus ſabbathicis potiſſimum inſeruiisſe Legem et Prophetas, e quibus Paraſchae et Haphtharae hebdomadales depromtae erant; Hagiographa autem per ſimilia penſa hebdomadalia publice recitata non eſſe; id quod etiam ex Act. XIII. 15. haud obſcure colligitur: hoc tamen non ita capiendum eſt, ac ſi ab hac lectione prorſus fuiſſent excluſa. Nam quinque Megilloth, vt audiunt, i. e. Libri Ruthae, Eſtherae, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum et Threni ſtatis quibusdum diebus feſtis, pari modo ac caeteri, praelecti ſunt hodieque praeleguntur. Hunc ergo

(s) Verba haec imperandi vim habere, pluribus demonſtrant SEB. SCHMIDIUS in Colleg. bibl. poſter. p. 2. IO. COCCEIUS Operum Tom. IV. p. 174. SAL. DEYLINGIUS in Obſeruat. ſacr. T. I. p. 132. ſeq. S. R. FRID. SAM.

ergo in vſum exemplaria eorum in Synagogis non potuerunt non adeſſe. Praeterea dum Chriſtus, vt §. IX. indicatum eſt, diſertis verbis ad Pſalmos et Vaticinia Danielis prouocat, quae tamen ſcripta inter Hagiographa occurrunt; reliquos etiam tertii faſciculi Libros eiusdem auctoritatis habuiſſe putandus eſt. Etſi denique Volumina in Synagogis praelegentium manibus trita, et a Chriſto ad recitandum euoluta, vel minime Hagiographa habuiſſent adiuncta: tantum tamen abeſt, vt inde conficiatur, Chriſtum ea pro diuinis haud reputaſſe; quantum abeſt, vt Concionator, ſi quis forte noſtra aetate non niſi e Codice Pericoparum, quae dicuntur dominicales, lectionem euangelicam aut epiſtolicam in aede ſacra praelegeret et explicaret, caeterorum S. Codicis ſcriptorum diuinam inſpirationem negare arbitrandus ſit.

§. XI.

Non vero ipſe ſolum Seruator Optimus ſacras Vet. Teſtamenti paginas explanauit et in vſus conuertit; ſed aliis etiam, vt illas diurna nocturnaque verſarent manu, iniunxit. Notiſſima ſunt verba eius Ioh. V, 39. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς κ. τ. λ.; quae per imperatiuum potius, quam per indicatiuum reddenda eſſe, contextus pariter ac ſcopus Chriſti ſuadet, omiſſumque pronomen ὑμεῖς, quod alias in eiusmodi locutionibus indicatiuo ſolet praemitti, poſtulat (s).

 Scru-

(s) SAM. ZICKLERUS Ausführl. Erkl. der Beweisſprüche der H. Schrifft Ien. 1753. 4. T. I. p. 57. ſeq. et tantum non omnes, qui peculiaribus Commentationibus dicto hoc Pontificiorum errorem, de Laicis a lectione S. Codicis arcendis, refutarunt.

Scrutari ergo Chriſtus Iudaeos iubet τὰς γϱαφάς: quibus quod totum Librorum Vet. Teſtamenti complexum ſignificet, iam demonſtrauimus; additque cauſſam, cur ſcripta iſta ſint ſcrutanda, nempe quia Iudaei rebantur, illa ſibi ad conſequendam vitam aeternam eſſe profutura, et quia de ipſo teſtantur. Demus, fuiſſe inter ſcripta haec talia etiam, quae diuinam originem mentita, pſeudothyro ſeſe canonicis immiſcuiſſent: obſecro, num quoque ea aſſiduo ſtudio voluere et inde teſtimonia pro apparitione Meſſiae eruere, praecepiſſet Chriſtus? Num opportunam hanc occaſionem Iudaeos monendi, vt ſibi ab his fallaciis caueant, deſtinato conſilio fuiſſet neglecturus? Fingamus, irrepſiſſe in illorum compagem Libros, qui prorſus vacui forent omnibus, quae ad emendationem hominum eorumque ſalutem conducunt. Nonne Chriſtus addidiſſet, Iudaeos perperam ſibi perſuadere, ſe, Libris his viam ſignantibus, ad vitam aeternam ductum iri? Nonne potius hoc fere modo ipſos fuiſſet hortatus: Scrutamini Scripta ſacra, quae ſunt genuinae notae; ſed ne oleum operamque perdite in voluendis Libris Chronicorum, Eſrae, Nehemiae *caet.* per errorem canoni biblico inſertis: quoniam vacui ſunt doctrinis ad perennem felicitatem veſtram ſpectantibus, nullaque de me perhibent teſtimonia. Haec certe hisue ſimilia monita nemo non hac occaſione exſpectaturus fuiſſet ab eo, qui ipſe Ioh. XVIII. 37. adſeuerat, ſe ideo natum eſſe et mundum intraſſe, vt veritati teſtaretur; non vero, vt tacendo puluinaria craſſo errori ſubſterneret.

§. XII.

§. XII.

Cum Iudaei maiorum ſuorum traditionibus nimium faſcinati, et Phariſaeorum decepti fraudibus, ſiniſtras easque noxias multorum Vet. Teſtamenti locorum interpretationes imbibiſſent; Chriſtus eas ſeuera animaduerſione redarguere ſenſumque ſacrarum litterarum ſuae reſtituere veritati, identidem allaborauit: cuius rei vel ſolum caput V. Matthaei affatim ſuppeditat exempla. Quod facere cum tanti duxerit; ſane plus eius interfuiſſet, Libros falſo pro diuinis reputatos ab eorum ſegregare numero, qui inſpirationis diuinae manifeſta prae ſe ferebant indicia. Vtut enim Libri hi non ſimilibus ſcatuiſſent naeuis, nec tam nociuis erroribus fomitem ſubminiſtraſſent, ac traditiones illae proauorum et detortae Phariſaeorum interpretationes; attamen vel hic ſolus error perquam deteſtandus atque in maieſtatem Summi Numinis ſummopere iniurioſus eſt, ſi, quae diuina non ſunt, venditantur pro diuinis. Quid quod ne hiſtoricos quidem errores, ſi quibus ex iſtis Libris imbuta fuiſſet gens Iudaica, ſalua ſanctitate et veracitate ſua ſine cenſura dimittere potuiſſet Chriſtus. Largiamur tantisper, quod quidam nuper adſerere non dubitarunt, hiſtoriam in Libro Eſtherae relatam toto coelo a veritate aberrare, immo ne probabilitatis quidem prae ſe ferre ſpeciem; nec aliud quid eſſe (ut addere non erubeſcunt), niſi Fabulam Mileſiam Iudaeorum (t). Largiamur, inquam, haec. Ii tamen ipſi, qui haec adfirmant, diffiteri haud poterunt, Iudaeos tempore Chriſti hiſtoriae illi,

(t) Diſertis verbis ein jüdiſcher Roman vocatur.

vt verae, indubitatam habuiſſe fidem: cum Librum Eſtherae in canone ipſorum locum tenuiſſe, ſat firmis probari queat rationibus (v). Fucum ergo ſibi fieri paſſi, mera commenta pro hiſtoria fide digna habuiſſent; venerati eſſent admirandam Dei in auerruncanda nece violenta, maioribus ſuis intentata, prouidentiam; quae ſe tamen, certe hoc in caſu, exſeruiſſet nunquam: quid quod publica ſollemnitate anniuerſaria, diebus feſtis Purim, pro ficto hoc beneficio diuino vota ſoluiſſent (x). Hanccine profanationem nominis diuini, ſi vel maxime ex ignorantia fuiſſet commiſſa, haud improbaſſet Chriſtus? cum ſane non minus improbatione digna fuerit, ac ἀσοργία illa, religionis praetextu velata, Marc. VII. 11. *ſeq.* ſimilesque errores, quibus tunc transuerſi agebantur Iudaei, grauiſſime idcirco ab ipſo obiurgati. Verum eiusmodi improbationis nec vola nec veſtigium in ſermonibus eius apparet. Nonne ergo iure inde colligimus, hiſtoriam in Libro Eſtherae conſignatam eſſe veram, ipſumque Librum canonicis adnumerandum?

§. XIII.

In frequentibus illis, quae Chriſto cum Iudaeorum doctoribus intercedebant, diſceptationibus

(v) Idem IOSEPHUS, cuius teſtimonium (§. II) allegauimus, in Antiq. Iudaic. XI. p. 373—382. Hiſtoriam Eſtherae copioſius enarrat; et ita quidem, vt omnia e Libro Eſtherae, qui in S. Codice exſtat, fere ad verbum depromat, et pro more ſuo vberiore commentario illuſtret.

(x) Dies feſtos Purim tempore Chriſti celebratos fuiſſe, in

nibus ſemper Vet. Teſtamentum lapidem conſtituit Lydium, ad quem dogmata controuerſa eſſent exploranda. Ex eo ad propoſitas ſibi quaeſtiones reſpondet, errores refutat, tela in ſe aſtute vibrata retorquet, lites dirimit, et dicacem aduerſariorum comprimit linguam. Quae ſingula exemplis comprobare vix operae pretium eſt; cum plena eorum ſit hiſtoria euangelica. Hic vero in formando ſtatu, quem vocant, controuerſiae cum maxime opus fuiſſet, principium illud, ex quo quaeſtiones decidendae eſſent, accurate determinare. Sed in hoc placidiſſime conſentiebat vtraque diſputantium pars. Prouocat Judaeus ad Scripturam; prouocat Chriſtus ad eandem. Neuter ex altero quaerit, quos Libros ſub Scripturae notione comprehendat, quosue ex eius ambitu cenſeat eliminandos: quia hac de re nullum inter ipſos erat diſſidium. Cumque Phariſaei, ſubdoli iique acerbiſſimi Seruatoris aduerſarii, ſaepe data opera omnem conſiliorum eo conuerterent aciem, vt ipſum ambiguarum quaeſtiuncularum laqueis irretirent; mirum omnino videretur, quod nunquam propoſita quaeſtione de numero Librorum Vet. Teſtamenti ei ſtruxerint tendiculas. Non de lana caprina fuiſſet huiusmodi concertatio; verum rem maximi ponderis excutien-

 dam

in dubium vocari nequit. IOSEPHUS l. c. p. 382. poſtquam liberationem Iudaeorum ab internecione ſummtamque de aduerſariis vindictam enarraſſet, addit: Ὅθεν καὶ, νῦν πάντες οἱ ἐν τῇ οἰκȣμένῃ Ἰȣδαῖοι τὰς ἡμέρας ταύτας ἑορτάζȣσι. caet. *Vnde etiam nunc omnes per orbem Iudaei dies hos feſtos agunt.* Iam ante IOSEPHUM Auctor poſterioris Libri Maccabaeorum, isque propior illi aeuo, quo hiſtoria accidit, cap. XV. 36. idem memoriae prodiderat.

dam continuiſſet. Hoc tamen factum eſſe, dum nusquam relatum legimus; colligendum eſt, Phariſaeos tam certos fuiſſe de omnium Librorum illorum canonica auctoritate, vt ſibi erubeſcendum fore praeuiderent, ſi ob materiam nunquam in discrimen vocatam fluctus in ſimpulo excitarent.

§. XIV.

Si vnquam neceſſitas poſtulaſſet, canonem biblicum fixis circumſcribere limitibus, et mere humanos Libros ab eo ſeiungere; hoc a Chriſto tunc potiſſimum fieri debuiſſet, cum inſignem illam promiſſionem de integritate ſcriptorum diuinorum ad finem mundi duratura, Matth. V, 18. enuntiaret. Pollicetur ibi, citius coelum periturum terramque, quam vt pereat ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία ἀπὸ τοῦ νόμου Cum voce νόμου totum Vet. Teſtamentum ab eo denotari, iam §. VIII. palam factum ſit; verbis iſtis declarat, ne minimam quidem particulam ab his ſcriptis diuinis auulſum iri vnquam Haec igitur promiſſio aut ſpectat ad omnes Libros, qui tunc Sacrum conſtituebant Codicem; aut ad quosdam modo. Si ad illos: comprobauit Chriſtus eos ad vnum omnes, vt tales, a quorum integritate magni pendeant montes, et quos idcirco prouidentia diuina a deprauatione vniuerſali immunes ſit ſeruatura. Si ad hos: neceſſario ab ipſo nominandi fuiſſent, quinam eſſent excipiendi; ne ad illos quoque promiſſio haec traheretur, et erroribus ibi forte latentibus inde peteretur patrocinium. Sed nullos excepit Chriſtus, qui tunc canonici eſſe putabantur; vnde omnes pro canonicis declarauit. Et quid aliud intendit, cum verbis promiſſionem hanc proxime praecedentibus v. 17. negat,

negat, ſe veniſſe ad ſoluendum νόμον καὶ προφήτας, niſi vt auctoritatem diuinam Legis et Prophetarum, ſeu, quod idem eſt (§. VIII.), omnium omnino ſcriptorum Vet. Teſtamenti adſtruat? Adfirmat, ſe Legem et Prophetas impleturum: id quod factum eſt, cum legi perfectiſſime ſatisfecit, et conſignata de ipſo Prophetarum vaticinia complementum nacta ſunt. Ne tamen, quae in Libris iſtis continentur, poſthac reputentur inutilia et ſuperuacua, multum a ſe abeſſe ait, vt eos aboleat. Si vero nunquam ſunt abolendi, ſequitur, vt argumentum eorum ad omne mortalium genus perpetuo ſpectet; adeoque Libri ipſi auctoritate gaudeant canonica.

§. XV.

Miſſis iam pluribus Redemtoris Sapientiſſimi teſtimoniis, de illo, cuius ſuperius ex parte mentio facta eſt, quod nempe a vaticiniis Vet. Teſtamenti arceſſiuit, pauca adhuc addere liceat. Probauimus (§. VII. et VIII.) e verbis Chriſti, vaticinia iſta de eo prolata in omnibus Libris canonicis eſſe obuia. Quod ſi ita ſe habet; nemo ambigere poteſt, omnes illos Libros a Deo inſpiratos eſſe. Futura enim contingentia, praeter omniſcium Numen, praeſignificare poſſe neminem, tam exploratum eſt, quam quod maxime. Itaque ſi omnes hi Libri a Deo ſunt inſpirati, euicta et ipſis Chriſti verbis adſerta eſt auctoritas eorum canonica. Non refragamur, inter vaticinia haec alia aliis eſſe clariora; alia propius, alia remotius ad Chriſtum collineare: alia ipſum exporrecto quaſi monſtrare digito, alia ſub typorum adumbrare figuris; alia ex ipſis nar-

rationibus hiſtoricis elucere (y). Sufficit, valere de ſingulis Libris, quod Chriſtus adfirmauit de omnibus in canone Vet. Teſtamenti iunctim contentis.

§. XVI.

Haec Chriſti teſtimonia cum tanta radient luce, vt vel illi ipſi, qui Librorum quorundam Vet. Teſtamenti auctoritatem labefactare ſumma ope nituntur, ea, certe quaedam eorum, pro minus ſufficientibus declarare non audeant; vrgeri ſe vident ad quaerendam rimam elabendi. Perſuadere ſcilicet nobis ſtudent, toleraſſe Chriſtum hos Iudaeorum errores, ſeque praiudicatis eorum opinionibus accommodaſſe, et, vt Logici aiunt, ad hominem cum illis diſputaſſe. At parum abeſt, quin nefarium et ſceleſtum nobis videatur, tale quid de Sanctiſſimo Filio Dei vel cogitare. Non diffitemur, licere in refellendis aduerſariis hoc argumentandi modo vti: ſed non eum in finem, vt contraria ſententia approbetur; verum vt, abſurda propoſitione inde deducta, eo luculentius appareat, ſententiam ipſam eſſe erroneam. Quis autem opinari non erubeſceret, Chriſtum, conceſſo errore, veritatem data opera celaſſe? Illine perinde fuit, vtrum in tenebris palpitarent, an lucem amplecterentur Iudaei? nec Iudaei modo; ſed ad vnum omnes, qui ad conſummationem mundi vsque forent victuri, et in

(y) Ne illi quidem hoc negare ſuſtinent, qui alias toti in eo ſunt, vt vaticina de Chriſto in Vet. Teſtamento obuia, qua fieri poteſt ratione, eleuent. DAN. BRENIUS in Notis in partem priorem Noui Teſtamenti fol. 78. ſcribit: *In Moſe ſunt quaedam vaticinia*

in quorum vſum dicta factaque eius in Libris Noui Foederis conſignata ſunt? Nonne hanc maximi momenti veritatem toti eccleſiae ſuae inuidiſſe, hancque de induſtria peſſimorum errorum vorticibus immergere viſus fuiſſet? Abſit, vt hanc notam inuramus Ei, in cuius ore nullus vnquam exſtitit dolus, 1 Pet. II. 22, qui neminem curauit, nec vllius ſpectauit perſonam, Matth. XXII. 16. Et quae, obſecro, cauſſa vel fingendo concipi poteſt, cur Chriſtus falſa approbando, commentis ſuffudiſſet frigidam? Num eius interfuit, auram vulgi captare? Num vllum errorem, vbicunque anſa ei ſuppeditabatur, ſine reprehenſione abire paſſus eſt? Immo vero redarguebat eum palam; redarguebat intrepidus; redarguebat firmiſſimis rationibus: nullo vel fauoris vel odii hominum habito reſpectu. Arriſerat maiorem in modum Iudaeis altasque in ipſis egerat radices, quid? quod Apoſtolorum etiam animis inſederat falſa illa perſuaſio de glorioſo quodam Meſſiae in terris regno. At tantum abeſt, vt Chriſtus ei ſit patrocinatus; vt eam potius identidem confutauerit ſuosque auditores meliora docuerit. Hoc enim decebat Magnum illum Prophetam Deique ad homines Legatum, qui in ſinu Patris exſiſtens, veritatem reuelauit, Ioh. I. 18. Peſſime profecto de Rege ſuo mereretur, eiusque pariter maieſtati, ac fidei ſuae ipſiusmet, haudquaquam proſpiceret Iudex delegatus; qui ad ſubiectos Regi ciues

nia de Chriſto, in Prophetis etiam de paſſionibus eius et paſſiones conſequente gloria, vt apud Eſaiam, Danielem, Michaeum, Zachariam et alios: quaedam per typos adumbrata, vt ſerpens a Moſe erectus, agnus Paſchalis, Iſaaci oblatio, res Ioſephi, Ioſuae, Davidis, Solomonis, et quae toti Iſraelitico populo euenerunt.

ues miſſus, id facinoris admitteret, cuius Chriſtum arguere, rubore non ſuffunduntur. Peſſime, inquam, ageret, ſi ipſi probe foret cognitum, ciues manibus verſare codices, qui iura, leges ac priuilegia a Rege indulta contineant, et quos ciues habeant pro genuinis, qui vero nomen Regis mentiti, ab impoſtore quodam conſarcinati et cum ipſis communicati eſſent; ſi tamen nihilo minus fraudem hanc diſſimularet, immo adſenſu ſuo approbaret. Fruſtra eſſet, quod ad culpae excuſationem praetenderet, ſe erroneam hanc ciuium opinionem vel tanti non feciſſe, vt ipſis eam euelleret; vel ſibi verendum fuiſſe, ne ipſos offenderet et camerinam moueret. Eius enim partium omnino fuiſſet, praeſtigias has in apricum proferre, codices ſuppoſitos manibus ciuium excutere et ſcapham ſcapham adpellare. Et ſi Chriſtus dicta Vet. Teſtamenti allegans, eo ipſo non veritatem eorum hermeneuticam confirmaſſet; ſed modo ad hominem, vt aiunt, argumentando, ipſis loco accommodationum vſus eſſet: qui potuit inde dogmata fidei probare, normam conſtituere agendorum, vaticiniorum complementa demonſtrare? et quae ſunt reliqua, ſuperius dicta (§. X. *ſeq.*) Num ad haec praeſtanda ſuffecturae fuiſſent merae accommodationes, aut teſtimonia κατ' ἄνθρωπον citata? Nonne potius inconcuſſa requiruntur teſtimonia diuina? His igitur cum Chriſtus vſus ſit; canonicam Librorum omnium Vet. Teſtamenti auctoritatem firmiſſimo veritatis muniuit ſigillo.